



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Speculum Approbandorum Bipartitum**

**Unczovsky, Marianus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1693**

Quæstio XIV. In qua adhuc nonnulla proponuntur de Confessione  
Sacramentali quoad eandem circumstantiam temporis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37308**

munionis Paschalis, ergo si adimpleri poterit, erit gravis obligatio illud implendi: neq; par ratio est pro præveniente, ac pro differente, quia factâ dilatione ex rationabili causa non potest amplius satisfieri præcepto, bene tamen post præventionem, si optima occasio ad satisfaciendum Communi-  
oni Paschali se offerat, prout suppo-  
nitur se offerre in casu.

#### QUÆSTIO XIV.

*In qua adhuc nonnulla proponuntur de Confessione Sacramentali quoad ean- dem circumstantiam temporis.*

*Vicar.* **M**ulta adhuc mihi occur-  
runt proponenda circa  
præsentem materiam.

*Sac.* Meum desiderium respondere ad singula.

*V.* Quid si confessio esset invalida & sa-  
cilega, putasne per eam satisfieri pos-  
se præcepto Ecclesiastico de confiten-  
do annuè?

S. Le-

S. Legi *Decretum felic. recordat. Alexan-*  
*dri VII. editum die 24. Septemb. 1665.*  
quale exprimit, huic præcepto satis-  
fieri non posse per confessionem vo-  
luntariè nullam, sed requiri eam esse  
validam Sacerdotali absolutioni con-  
junctam, & meritò, quia hoc præcep-  
tum Ecclesiasticum est tantum qua-  
dam determinatio præcepti Divini,  
adeoq; non præcipit aliam confessio-  
nem, nec per aliam impletur, nisi  
quam præcipit, & per quam impletur  
præceptum Divinum, sed sic est, quòd  
præceptum Divinum præcipiat verum  
Sacramentum, & consequenter vali-  
dam confessionem Sacerdotali absolu-  
tioni conjunctam, & per hanc so-  
lùm impletur, igitur talem quoq; re-  
quirit præceptum Ecclesiasticum.

V. Miror quòd respondendo appre-  
hendas confessionem solùm cum va-  
lore seu validam?

S. Non ignoro quòd salvo præfato de-  
creto disputatione, an confessio Sacra-  
men-



mentalis possit dari informis , & ta-  
men valida? unde admisso valore cum  
informitate dico : huic præcepto satis-  
fieri per confessionem validam dunta-  
xat , licet informem , talis enim con-  
fessio in hac Sententia effet vera , &  
propriè dicta Sacramentalis confessio,  
neq; præceptum est de recipiendo fru-  
ctu , sed tantum de substantia Sacra-  
menti suscipienda , quemadmodum  
præceptum audiendi Sacrum non est  
de fructu Sacramenti percipiendo , sed  
tantum de ipso Sacro audiendo.

V. Sit casus , quòd Pœnitens fuerit  
confessus omnia peccata legitimé , cui  
tamén Sacerdos vel ex malitia , vel ex  
ignorantia non impendisset absoluti-  
onem Sacramentalem ?

S. Judico , quòd quamvis Pœnitens il-  
le non peccâisset , siquidem nullitas Sa-  
cramenti ipsi non fuit voluntaria , te-  
netur nihilominùs iterum confiteri  
Sacramentaliter eadem peccata , acci-  
piendo veram ab illis absolutionem ,

ut

ut satisfaciat huic Ecclesiæ præcepto  
dummodo noverit hunc defectum.

*V.* Quomodo autem Pœnitens ille co-  
gnoscet hunc defectum, siquidem Sa-  
cerdos absolutionem non impendi-  
non tenetur id manifestare Pœnitenti.  
S. Sacerdotem invalidè absolventer  
obligatum esse ad monendum Pœni-  
tentem de suo errore affirmat Dian-  
p. 2. Tract. 15. resolute 6. & p. 11.  
Tract. 4 resolut. 9. Arriaga Disp. 44. n.  
11. & plurimi alij, ergo etiam ad pa-  
tefaciendum, quod illi absolutionem  
Sacramentalem non impenderit.

*V.* Quid dicas? nonnè Confessario  
valdè arduum foret, si se in famare de-  
beret, quod non, vel male absolverit?  
nec mihi videtur talem Confessarium  
aliud facere posse, quam dolere de  
comissa culpa, & Pœnitentem, qui  
bona fide processit, in sua bona fide  
relinquere: non enim potest absolve-  
re absentem post Clementis VIII. de-  
clarationem, nec præsentem & insci-

um,

um, quia poterit accidere, quòd interà temporis peccâasset mortaliter, nec etiam facilè monere propter errorem commissum absq; periculo, fractionis sigilli; præterquam quòd Pœnitens ille, esto non sit verè absolutus & justificatus (nisi contritionem habuerit) attamen cùm bona fide procedat, per proximam confessionem deveniet ad statum gratiæ, non obstante priori defectu, siquidem confessa condonabuntur postea virtute alterius confessionis sequentis.

S. Ausculo has rationes, quas recordor me legisse apud *Suar. Disp. 32. Sect. 6. n. 5.* verùm occurrit mihi pro Sententia obligantium Confessarium ad monendum, quòd privatio gratiæ sit Pœnitenti grave damnum, ideoq; Pœnitens esset monendus nè illud patiatur, verùm gratiam, quâ privatus est, recipiat per alteram validam absolutionem; accedit, quòd si is, qui est alteri causa violandi grave aliquod præcep-

ceptum, tenetur illi auferre ignorantiam, ut legem Dei servare possit, v.g. qui dixit alteri: non teneris audire Sacrum die Festo &c. debet eum postea de obligatione audiendi monere, igitur etiam Confessarius non, vel invalidus absolvens debet monere Poenitentem, ut postea servet præceptum ea peccata confitendi, siquidem illa ob defectum ex parte absolvientis adhuc non sunt validè subjecta clavibus Ecclesiæ.

V. Non videtur esse paritas, quia in casu ignorantiae de obligatione audiendæ Missæ subest periculum saepius non audiendi, ast in nostro casu non subest periculum saepius similia peccata committendi.

S. Sed sit, ut esse potest in habituato peccatore, periculum saepius similia peccata committendi, numquid obligatio erit illum monendi? sicut ergo sententia negantium certè admittit aliquando esse obligationem monendi,

itā



itā ex opposito Sententia affirmantiū negat quandoq; Confessarium tamē obligari ad monendū Pœnitētem.  
U. Quando?

S. Tunc, dum Confessario ex hac mōitione grave malum resultaret, vel si Pœnitens rursus confiteretur, & adhortatus facile induci posset ad dolorem omnium præteriorum peccatorum.

U. Ergo si Pœnitens in tali esset statu ut probabilit̄ putaretur ampliū non confessurus ulla peccata, esset quoq; obligatio illum monendi de interveniente errore?

S. Omnipotē.

U. Bene respondes; occasione autem alibi dictorum, cūm Jure Divino obligatus sit Fidelis ad confitendum Sacramentaliter in articulo, vel periculo mortis, quæro: an peccator probè sciens se tantū habere peccata venialia, teneatur in evidenti periculo mortis constitutus confiteri habendo copiam Confessarij?

S. Si

S. Si spe ctemus precisè præceptum Di  
vinum , cùm ( juxta dicta ) hujusmodi  
peccata ex institutione CHRISTI non  
sint materia necessaria Sacramen: Pœ  
nit: sed sufficiens tantum, ac simplici  
ter libera à Pœnitentibus , dico per se  
loquendo non teneri.

V. Existimo tamen per accidens tene  
ri , tum ratione scandali , quod forte  
inde oriri posset , tum ad vitâdum pec  
catum præsumptionis , tum deniq; nè  
se ipsum decipiat sibi nimium blandi  
endo , putans , quòd habeat tantum  
venialia , cùm tamen haberet & mor  
talia , quæ tunc ei indirectè remitte  
rentur , simul cum venialibus , quæ  
confitebitur.

S. Amplector hanc doctrinam , & ju  
dico ob has aliasque causas Ecclesiam  
tantoperè curare Sacrament: Pœnit  
egrotis ministrati , legemq; statuisse  
in Concil. Lateran. sub Innoc. III. ut refer  
tur cap. cùm infirmitas extra : de Peni  
tent. & Remiss. sub pœna privationis

in-



ingressus Ecclesiæ Medicis , ut dum contigerit eos vocari ad infirmos, ante omnia moneant illos & inducant ad faciendam peccatorum confessionem, quæ lex fuit renovata à Pio V. in Bulla quæ incipit : *super gregem ubi prohibetur Medicis, nè tertio ægrotum accedant, nisi resciverint eum fuisse Sacramentaliter confessum, vetatq; Pontifex eos admitti ad Doctoratum, nisi solenniter jurent se id servatuos.*

V. Ergo ut consequenter loquamur baptizatis ob sua crimina ad mortem damnatis confessio Sacramentalis denegari non potest ?

S. Non potest: fuit quidem consuetudo in contrarium in aliquibus Galliæ Provincijs , ante annum 1396 sed Regiâ constitutione datâ Parisijs año specificato die 12. Febr. abrogata est , cui etiam longè ante restiterat Summus Pontifex *Celestin. I. à Chri 428. Epist. 2. ad Ep̄os Galliæ e. 1. ubi de hac denegatione Sacramenti Pœnit: graviter con-*

que-



querendo ait: *quid hoc aliud est, quia morienti mortem addere, ejusq; anima sua crudelitate, nè absolta esse possit, occidere?* (& paulò post) *salutem ergo homini adimit, quisquis mortis temporis ratam pœnitentiam denegavit.* Et Julianus I. 2. suo Decreto relato dist. 26. Q. 6. si Presbyter ait: *eum fore reum animorum, qui pœnitentiam morientibus denegaverit.*

*V.* Putasne tamen aliquando licet hominem morte punire absq; eo, quod ei concedatur tempus pro Sacramento Pœnitent.?

*S.* (Quidquid dicant alij) existimo, quod esto probabiliter timeatur per dilationem mortis graviū damnorum Reipubl. aut Principi &c. illatio, atamen dummodo reus fuerit sub potestate coercitiva Curiæ, concedendum est ei tempus pro Sacram: Pœnit:

*V.* Nonne gravia damna, quæ sequentur ex dilatione sufficerent ad denegandum hoc Sacramentum?

*S. VI.*



S. Videtur mihi moraliter impossibile, quod tantilla dilatio in qua unum aut alterum peccatum reus confiteatur & absolvatur (in quo casu ita practicari posse affirmant D.D. & etiam in casibus inferioris necessitatis) afferret tanta damna, quae sufficerent pro negatione dicti Sacramenti reo, cui ob maximam mentis perturbationem valde difficilis esset contritio.

V. Etiam modicam dilationem rejicit Jus defensionis, in casu autem non tam procederetur via juridicâ, ad punitionem, quam via ordinariâ defensionis propriæ & proximi, nec tam ad puniendum crimen, quam ad malum futurum impediendum.

S. Scio quod tunc solum ratione necessariae defensionis liceat occidere impoenitentem, quem quis sciret moriturum in peccato mortali, quando est. Actualis aggressor, aut quando est parasitus aggredi: in casu autem cum reus supponatur esse in potestate Curiæ,

neq; est aggressor, nec paratus aggre-  
di, quia est sub actuali coërcitione Ju-  
dicis, & moraliter impossibile vide-  
tur, quòd non possit cautè custodiri  
pro aliquo brevi tempore, ideoque in  
hoc casu non habet locum defensio-  
aut Jus defensionis.

V. Demus casum, quòd ille, quem Ju-  
dex auctoritate Principis sive morsa ju-  
bet occidi, non esset sub potestate co-  
ercitiva Curiæ, paratus tamen gravis  
damna inferre communitati?

S. In tali casu dico eum *Lessio lib. 2. de  
Justitia & Jure, cap. 29. dub. 11. n. 9.*  
posse procedi contra illum tanquam  
aggressor viâ necessariæ defensio-  
nis, attamen extra hujusmodi casum  
manet tanquam certum, Judicem te-  
neri concedere tempus damnatis ad  
mortem suscipiendi Sacramentum penit-  
itiae in *Clement. 1. de penit.* & ratio est in  
promptu, tum quia illo tempore ur-  
get præceptum Divinum suscipiendo  
tale Sacramentum, ideoq; Judices im-

ped-  
us,  
ten-  
tute  
nec-  
pon-  
cess-  
V.I.  
trat-  
des-  
tum-  
S. D.  
Enc-  
cem-  
rere  
exp-  
enir  
adhi-  
fici-  
pidâ-  
simâ-  
esse-  
bar-  
con-  
sifi-



pedire non possunt executionem illius, tum quia Judex damnato ad mortem, utpotè sub sua potestate constituto tenetur ratione officij procurare necessaria ad salutem Spiritualem, supponit autem esse in gravissima necessitate Spirituali, ergo &c.

V. Posset contingere, quod reus, intrà tempus consuetum concedi morti destinatis, nollet suscipere Sacramentum Pœnit:

S. Dico cum Bonac. Disp. 4. de Sacram. Encharist. Q. 7. punc. 1. n. 6. tunc Judicem obligari ex charitate ipsi succurrere, concedendo aliud tempus ad experiendum si fortè resipiscat: licet enim prodegerit tempus concessum, adhuc tamen est illi subveniendum, sicut licet quispiam propriâ culpâ dilapidasset bona sua, adhuc ipsi in gravissima, necessitate corporali constituto esset obligatio succurrenti (*dixi ex charitate*) quia ex Justitia dilationem concedere non tenetur, nisi fortè resipiscens petat confiteri.

v. Sit

V. Sit concessa congrua dilatio ultra tempus consuetum, quid si damnatus ad mortem adhuc nolit penitere, & recipere Sacramentum?

S. Dico Judicem posse exequi sententiam, qui cum fecerit quantum inferat, impenitentia non ipsi, sed reo imputanda est; quod si dicatur esse obligatum liberandi reum a morte, qui libet penitente nollet, ut a morte liberaretur, viaque aperiretur delictis propter tale remedium evadendi.

V. Forte in tali casu Judex posset commutare poenam mortis in aliam poenam aequivalentem?

S. Expedit ob bonum publicum ne fiat talis commutatio, praeterquam quod nulla poena, esto perpetua, morti, & quivaleat, praesertim in apprehensione hominum, nullaque aequaliter deterrere posset a delictis: neque malitia rei debet impedire Justitiam.

V. Cum juxta doctrin. Sum: Pontificum a te supra relatam morituris sacram.

cram. Pœnit: denegandum non sit, quæro an etiam hæretico negativo ad mortem damnato hoc Sacram: ministrandum sit?

S. (*Supponendo hereticum negativum illum esse, qui convictus de hæresi persistit in negativa*) sentio tali hæretico, dummodo congruè dispositus sit, absolute ministrandum esse Sacram: Pœnit:

V. Quid intelligis per *ly dummodo congruè dispositus sit?*

S. Hoc intelligo: quod licet reus revera commiserit delictum hæresis, quod publicè fateri non vult, nè subeat infamiam, dummodo illud in foro conscientiæ detestetur & pœniteat, quamvis in foro externo permanserit in negativa, possit Sacramentaliter absolvī.

V. Putasne hæreticum negativum haberi pro pœnitente?

S. Quamvis in præsumptione fori externi haberetur pro impenitente, si tamen judicio Sacramentali Pœnitentiæ subjici, & remedium Salutis, cuius



supponitur esse capax , recipere vellet  
verè impœnitens non esset , adeoq; si-  
cut Ecclesia vult , ut ministretur Sa-  
cram: Poenit: illis , qui reverà impœni-  
tentes non sunt , præsertim in articulo  
mortis , in quo cessat omne impedi-  
mentum Canonicum obstans absolu-  
tioni Sacramentali , neq; locum habeat  
aliqua reservatio , ità pariter vult , ut  
hujusmodi reus absolvatur Sacramen-  
taliter.

**U.** Vult , sed si fateatur publicè crimen  
hæresis , hoc enim crimē excipi debet  
S. Non adhæreo exceptioni , quam fa-  
cit *Sanchez* , quia rationes , quæ ab-  
solvunt reum ab hac obligatione in al-  
lijs criminib<sup>o</sup> , procedunt etiam quan-  
do agitur de hæresi , quare sicut ex ne-  
gatione alicujus delicti in foro exter-  
no , non sequitur impœnitentia de il-  
lo in foro interno , ità quoq; ex nega-  
tione delicti hæresis in foro externo  
non sequitur , aut concludenda est im-  
pœnitentia de illo in foro interno , di-

ver-



verso enim modō ( prout alibi dixeram ) procedunt forum externum & illud conscientiæ , & ideo judicium , quod fertur secundūm unum forum , non debet ferri secundūm aliud , cùm facta aliter possint apparere in uno , ac in alio , & damnatus aut ligatus in uno , possit absolvī in altero , & è contrā .

V. Existimo , quòd , si crimen verum sit , teheatur reus tollere scandalum & ipsum fateri , unde si non tollit , est verè impoenitens , ac proinde non potest ipsi ministrari Sacram: Pœnit:

S. Respondi jam non teneri reum sententiatum fateri crimen hinc etiam communior & melioribus innixa fundamentis opinio tenet , quòd reus , qui in judicio negavit delictum , pronunciata sentētiā , & completo judiciō non teneatur amplius fateri veritatem , & bene : cùm enim completo judiciō Ju-dex desinat esse Judex , cessat etiam Jus ipsius ad exigendam à reo manifes-tationem veritatis , & consequenter

etiam respectu rei obligatio ad manifestandum, quia talis obligatio dicit relationem ad Jus Judicis: quale autem scandalum ex eo, quod reus neget delictum siquidem communiter scitur reos delicta negare: praterquam quod hoc ipso, quod reus se subjiciat Iudicio Sacramentali, evacuet suspicitionem impoenitientiae.

**V.** Adverte, quod talis Hæreticus non esset reconciliatus Ecclesiæ, adeoque non deberet admitti ad participationem Sacramentorum.

**S.** Qui sunt in articulo mortis, possunt, & debent admitti ad Sacraenta Pœnit: absque solenni aut publica reconciliatione: sufficiet itaq; cum privata hæresis detestatione reconciliatio privata, quæ fieri potest a quolibet Sacerdote, qui reperit Pœnitentem dispositu: cum enim agatur de salute vel damnatione æterna Rei, ipsi in hac gravissima necessitate spirituali constituto non debent, nec possunt justè de-

ne-



negari remedia ad salutem necessaria ,  
ad quæ jus habet: potius ergo dicen-  
dum est: forum externum, præsertim  
Ecclesiasticum in casu respectu Rei pe-  
tentis non posse non esse favorable, &  
ideo notat *Hurtad. de fide, sp. &c. Disp.*  
*86. §. 30.* quod Judex ipse Ecclesiasti-  
cus, qui damnavit Hæreticum negati-  
vum, & tradidit brachio sacerdotali, te-  
neatur audire Confessionem Sacra-  
mentalem illius, si alius Sacerdos non  
ad sit, ipsumq; absolvere, si judicet es-  
se capacem absolutionis.

V. Pro complemento hujus discursus  
quaero: an nolenti suscipere Sacram:  
Extremæ Unctionis sit ministrandum  
Sacramentum Pœnit:?

S. Multos abhorre hoc Sacramentum  
Unctionis experientia docet, cum ita-  
que communis teneat sententia non  
adesse præceptum suscipiendi hoc Sa-  
cramentum, nolenti illud suscipere  
(*secluso contemptu*) utpote non pec-  
canti, judico ministrandum esse Pœ-

I 5 nit:

nit: Sacramentum, si aliàs sit disposit? V. Nonnè talis negligeret media ordinata ad salutem ex quibus multùm utilitatis percipere potest, atq; ità nolens tale Sac. amentum recipere (*si sui compos sit*) præsumeretur illud contemnere?

S. Non debet præsumi quòd contemnat, siquidem alia suscipit, aut suscipere desiderat, & consequenter institutionem Sacramentorum, atq; Ecclesiam veneratur, neq; omissio eorum, quæ non sunt in præcepto, arguit contemptum.

V. Judico tamen talem infirmum horrandum esse ad suscipiendum hujus modi Sacramentum, ut hoc quoq; medio consulteret propriæ saluti, & interveniens motivum non suscipiédi, tanquam non rationabile, de mente ejaceret.

S. Juxta hoc judicium rectum operabor.

*QUE.*

